



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas II. Argumenta oppositorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

us à seipso, quod seipsum, includitur in toto. Rursus impossibile est esse alteritatem rigoro-
sam, nisi adsit distinctio rigorosa, nam distinctio
est genus ad hanc speciem, quæ est distinctionis
per alteritatem rigorosam. Sed inter commu-
nitatem, & inter privatum, secundum quod est
pars illius, teneturque; providere bono communi,
non est distinctio, sed identitas. Ergo.

Denique duplex potest esse comparatio inter
privatum & communitatem. Imprimis ut de
se esse illi partem illius communitatis, si cir-
cumstantia hæc & nunc materialiter non nisi se
habens, ut v. g. cum aliquis contrahit cum com-
munitate de bonis, fructibusque illius, ex quibus
vult ditare suum filium, in distincta communita-
te viventem. Potest item comparari ad com-
munitatem, quæ pars illius formaliter est, ita, ut
sit comparatio bonorum ad invicem. Hæc com-
parationes sunt distinctæ: nam in priori habet se
privatus ita, acis, qui nullo modo est in commu-
nitate: in posteriori autem non se ita habet, non
habere autem se, ut tanquam aliquid communi-
tatis, & habere se, ut tanquam aliquid commu-
nitatis, sunt distincta, quæ duæ comparationes
distinctæ, non essent, nisi ponatur in secunda
comparatione imperfecta alteritas, & distinctio
privati à communitate.

PROBATUR 2. à Pari. Non est rigorosa ju-
stitia inter Patrem & Filium, quæ tales. Domi-
num & servum, uxorem & maritum &c. Ergo,
neque inter privatum & communitatem.

PROBATUR 3. Si justitia Legalis est justitia
rigorosa, quæro, vel includitur privatus in illa
communitate? vel non includitur? si non in-
cluditur? non stas in statu quæstionis: quia hic
quæritur de communitate, non quomodocun-
que sumpta, sed prout complectente privatum.
Si autem includitur. Ergo, non est privatus per-
fectè & rigorosè alter à communitate. Quod
ipsum sic probatur, quia esse alterum perfectè,
est quædam denominatio positiva, licet fun-
dans consequentes negationes: neque enim me
esse alterum à Petro, dicit primo negationem
Petri, sed primo dicit aliquid positivum meæ
entitatis, ad quod consequitur, dicta negatio.
Jam autem privatus, prout illum includit com-
munitas, qui est v. g. Petrus, non est unde ha-
beat denominationem positivam alterius, & è
converso: quia hæc denominatio positiva alte-
rius à communitate, quod est v. g. Petrus, de-
bet esse exclusiva negationis Petri: Petrus enim
non includit, sed excludit negationem sui, om-
niaque positiva excludunt negationem sui:
quia hoc ipso negativa non positiva essent. Et
si non excluderent negationem illius positivi,
tunc quæro: Communitas illa, prout includens
Petrum, vel dicit exclusionem negationis Petri,
vel non dicit? si non dicit. Ergo, nec dicit Pe-
trum, qui necessariò excludit negationem sui.
Si autem communitas, prout includens Petrum,

dicit exclusionem negationis Petri. Ergo, non
dicit sic sumpta alteritatem à Petro: quia alteri-
tas à Petro, dicit negationem Petri, consequen-
ter, alteritas à Petro dicit inclusionem nega-
tionis Petri, non exclusionem negationis Petri.

Tota hæc ratio hoc præsupponit, quod u-
numquodque ens positivum excludat negatio-
nem sui, includat negationem aliorum, per hoc
que in ratione alterius constituitur: quia inclu-
dit negationem aliorum, præter se.

Quod ipsum hac methodo proponitur. Con-
stet communitas decem personis, quarum deci-
ma sit privatus Petrus, hic Petrus: si comparetur
ad primum communitatis, habet denominatio-
nem positivam alterius, & simul dicit prædica-
tum negationis illius primi, & sic de reliquis.
Si comparetur ad ultimum, qui est ille ipse, non
erit distinctus à se, nec habebit denominatio-
nem positivam alterius: nec includet negatio-
nem sui, sed excludet; & tamen negatio ejus,
cui aliquid opponitur, fundat rationem alte-
rius.

RESPONDEBIS. Posse etiam hic interveni-
re æquivalentem alteritatem: posset enim di-
cere privatus, quamvis non forem pars commu-
nitatis, satisfacere tamen.

CONTRA. Tum quia. Æquivalens alteri-
tas non denominat justum. Tum quia. Con-
ditionata illa posita, si non essem pars commu-
nitatis, satisfacere tamen, conditionata inquam,
illa facit, ne actus ille sit justitiæ legalis: quia fa-
cit ne moveatur bono communi: cum tamen
legalis justitia moveri debeat hoc bono com-
muni: æquivalens autem alteritas non facit,
dum aliquis sibi solvit, ne verè solvat, & ne uta-
tur motivo justitiæ. Tum quia. Auctores in
oppositum, nihil agunt de æquivalenti alterita-
te, sed adstruunt alteritatem formalem partis
adhærentis, de quo infra.

DIFFICULTAS II.

Argumenta Oppositorum.

OBJECIT 1. Dicastil. Justitia distributiva
est quasi correlativa justitiæ legalis. Sed
illa est justitia simpliciter. Ergo, & hæc.

RESPONDETUR. Non satis liquet, quomo-
do justitia Legalis sit correlativa justitiæ distri-
butivæ: si enim nomine correlativi hæc accipia-
tur membrum oppositum, sic distributivæ op-
ponitur potius justitia commutativa, nec quid-
quam verat, ut in quibusdam hæc membra con-
veniant, in quibusdam differant. Si autem no-
mine correlativi veniat aliquid conjunctum,
cum justitia distributiva, id quidem verum est,
sed inde nihil sequitur: nam potest aliquid esse
conjunctum cum altero, non tamen participare
eandem rationem cum illo. Sic dispositiones

*I 3 omnes

omnes sunt conjunctæ cum substantia corporea vivente, neque tamen sunt substantia corporea vivens: opponiturque homini vero, homo pictus, contineturque sub nomine homo, & tamen homo pictus, non est rigorosè homo. Deinde an justitia distributiva sit rigorosa justitia, de hoc dicetur infra.

OBJICIT 2. In Legali reperiuntur conditiones justitiae simpliciter: quia reperitur debitum, æqualitas ex præscripto legis, denique alteritas, simpliciter sufficiens. Quod probatur facile, habent enim Cives singuli, jus & dominium distinctum, à tota communitate. Et sanè Civis quicumque, non est pars totius communitatis, ita naturalis, & inevitabilis, atque filius, est pars Patri: est enim Civis spontanea & libera pars, quæ suo arbitratu, potest se ab ea communitate separare.

RESPONDETUR. Negando, ob rationes alias, haberi illic sufficientem alteritatem: consequenter, nec haberi æqualitatem rigorosam, quæ etiam trahit secum alteritatem. Negatur item, cives singulos prout inclusos in communitate, sicque formaliter acceptos, habere jus & dominium distinctum à tota communitate: Licet prout non inclusi vel inclusione materialiter non nisi se habente, dicant jus distinctum. Quod autem sit libera pars communitatis civis, non obstat: Nam nemo necessariò commutat, sed non nisi ex suppositione voluntatis, quæ posita, verè contrahitur: ita nemo quidem sine suppositione suæ, vel majorum communitatis, evadit pars communitatis, illa tamen supposita, verè est pars illius, pars, inquam, & physica & moralis; physica quidem, ad eum modum, quo uniuscujusque ternarii pars physica est unitas, est item pars moralis, ratione unionis moralis inibi intercedentis, liberè item homo facit acervum trium lapidum, & tamen ex suppositione illa libera, non est alteritas ad æquata inter unum inclusum lapidem, & tres illos. Rursus licet nemo proximè nascatur civis: liberè enim accedimus ad communionem vitæ, remotè tamen nascimur cives, ratione indigentiae communionis vitæ. Denique dantur eventus, in quibus civis non potest se sine injuria subtrahere à communitate, ut si sit unice necessarius ad defensionem Patriæ, tempore belli.

OBJICIT 3. Idem. Quamvis civis nihil plane emolumenti, sed potius multum damni ex Legalis debiti solutione percepturus sit, nihilominus eo debito sæpe obligatur; hinc satis colligitur, eum per justitiam Legalem non ordinari ad Rempubl. ut partem intrinsecè constituentem illud ipsum totum, sed ut partem, solum ad hærentem toti residuo. Sicut manus dicitur pars residui totius, respectu corporis, ac proinde sicut manus dicitur pars respectu totius residui corporis, omnino est alterum quid; ita & civis respectu totius residuæ communitatis.

RESPONDETUR. Quando civis solvit debitum communitati, titulo boni communis, habetque detrimentum, habet illud quæ simpliciter privatus est, sed non quæ est pars communitatis. Unde, quando illa ipsa pecunia extenditur in bonum commune v. g. in defensionem patriæ, non habet per hoc detrimentum privatus, sed participat ex illa defensione, moriensque pro patriâ, lucrum habet: quia vita sua defendit eos, quorum pars est, acquiritque & sibi & communitati bonum gloriæ, & famæ, securitatisque suorum &c.

Illud quod adfertur de parte solum adhærente, non convincit. Tum quia. Non est major ratio, quare pars adhærens; ingrediens tamen illam communitatem, dicat alteritatem, & non dicat pars constituens. Unde jam sic arguitur. Tam pars constituens, quàm pars adhærens, vel ingreditur, completque illam communitatem, vel non ingreditur, nec complet? si nec ingreditur, nec complet. Ergo, tunc non intercedet justitia Legalis: quia non intercedet bonum commune; quod commune, non est, nisi ingredienti, illam communitatem. Si autem pars adhærens ingreditur, & complet illam communitatem, Ergo, non est major ratio, cur pars constituens non dicat alteritatem rigorosam à toto constituto, dicat adhærens; cum ex eo constitutus pars talem alteritatem non dicat, quia ingreditur talem communitatem, quod commune debet esse etiam parti adhærenti. Tum quia, ternarii tertia unitas, non est pars adhærens, sed constituens ternarium. Ergo, & decimus v. g. civis non est pars adhærens communitatis decade illa stantis, sed pars constituens. Tum quia, Vel dantur aliquæ partes communitatis adhærentes, alia constituentes, vel omnes sunt adhærentes, si omnes sunt adhærentes, ostende quid illas statuat in genere & formalitate præcisa adhærentium? item si omnes sunt adhærentes, ergo, non sunt adhærentes: cui enim adhærent? cum nihil sit quod illud totum constitueret, cui dicerentur illæ partes adhærere. Si autem aliquæ partes sunt constituentes, da rationem quare v. g. novem reliqui sint partes constituentes, & non ille decimus? Tum quia. Nego manum esse partem adhærentem corpori, cum sit pars constituens integraliter corpus. Tum quia. Si manus comparetur ad corpus simpliciter, sic sumpta non habet perfectam alteritatem, seu quoad omnia: quia in illo corpore, continetur etiam manus, quæ à se ipsa, non habet alteritatem simpliciter, si autem comparetur manus ad corpus cum addito, seu residuo, adeoque non jam ad corpus simpliciter, quia corpus etiam manu constituitur, sic comparata manus habet perfectam alteritatem: accipietur enim non comparatè ad corpus, sed ad partes, inter quas est distinctio realis ad æquata. Ita etiam in præ-

fenti,

senti, si comparatur civis ad communitatem, quā talem, non habet ab illa alteritatem à se ipso, cum tamen supponatur includi in illa communitate. Si autem comparatur civis ad reliquos, prout partes non nisi sunt, & cum materialiter se tunc habet ratio communitatis, intercedet tunc quidem perfecta alteritas, sed non iustitia legalis, seu iustitia intendens æqualitatem boni communis.

INSTAT Dicast. Manus, quæ subit periculum cum totali suo damno, dicitur succurrere toti corpori, non quidem toti, ut includenti etiam manum, sed toti reliquo præter manum: ita pariter civis comparari potest ad suam Rem publicam.

RESPONDETUR ex dictis. Posse & aliter comparari, sed si ita comparatur, concedo totum, scil. quòd illic sit perfecta alteritas; sed nego quòd, stante tali comparatione, sit futura iustitia legalis, seu intendens bonum commune. Deinde, stando in allato exemplo, sicut interdum ita manus subvenit corpori, ut non subveniat sibi, casu quo abscindatur; ita interdum manus subvenit corpori ut subveniat sibi ipsi, casu, quo cibum subministret, & similia, in qua subventione, casu priori, fit subventio corpori cum addito, in posteriori, est subventio corpori simpliciter; ita interdum fit à cive aliquid in bonum communitatis reliquæ, eritque tunc perfecta alteritas, sed nego quòd intercedat iustitia legalis. Si autem fiat in bonum communitatis simpliciter, erit quidem iustitia legalis, sed nego quòd erit iustitia rigorosa. Denique dici potest, non attendi hic ad statum quæstionis, quia formata est negativa hoc sensu, non esse tunc iustitiam rigorosam, quando attenditur ad bonum commune, de quo bono communi participat ipse faciens actum iustitiæ legalis. Et esset fallacia accidentis, ab alteritate reperibili in uno sensu, arguere ad alteritatem reperibilem in alio sensu.

Continuatur solutio Argumentorum.

OBJICIT 4. Quidam eundem medium terminum. Quando fit actus iustitiæ legalis, invenitur debitum non solius congruitatis, sed ex ipsa conditione bonorum, quæ eo ipso quod sint bona partium, sunt obligata bono totius, ut ipsis etiam invitis, licetè auferri possint, quod non fieret, si essent obligata virtute magnificentiae vel liberalitatis. Est etiam in illo jure alteritas: quia quamvis sit pars alicujus totius; tamen ratione multorum suppositorum aliorum, non tantum est quid alterum à singulis partibus, sed etiam est aliquid aliud. Deinde, quia una communitas, vel ejus aliqua pars, potest restituere debitum alteri communitati, vel alicui ipsius parti, ex motivo boni communis; reperitur denique æqualitas: quia potest facere tantum privatus, quantum exigit bonum commune hic & nunc ab illo. Addit tamen bene, concedi pos-

se, quod quamvis iustitia legalis sit propriè dicta iustitia, non sit tamen æquè perfecta ac particularis.

RESPONDETUR. Non est illic debitum rigorosum: quia nullius est erga seipsum, debitum rigorosum; cum etiam nemo se injuriare possit; nec adest illic rigorosa alteritas, si sumatur intentio boni communis, hoc sensu, quo à nobis est supra explicata; & si moveatur bono communi aliis pluribus, non sibi, movebitur bono communi materialiter, non communi formaliter, quia non sibi proprio. Et sicut, cum satisfiat pluribus eumentibus, quia plures sunt, pluralitas illa & communitas materialiter se habet, nec extrahitur ille actus, ultra speciem contractus emptionis, & venditionis, nec tunc fit iustitia legalis formaliter; ita nec fiet, quando aliquid solvitur ob bonum commune nonnisi materialiter; ut fit, dum non participat ex bono, ille, qui illud bonum exhibet. Quod autem dicitur; iustitiam legalem esse quidem propriè iustitiam, non tamen æquè perfectam; ex dictis non convincit: quia non potest dici id esse propriè iustitia, ex dictis supra, quod non participat inclusa necessariò in ratione iustitiæ generica, in qua ratione rigorosæ iustitiæ, includitur rigorosa alteritas, quæ non invenitur in legali iustitia.

OBJICIT 5. Idem. Auctoritatem Aristotelis, qui 5. Eth. 2. appellat hanc iustitiam univocam cum particulari; nullibi; S. Thomas numerat eam, inter partes potentiales, aut inter iustitias secundum quid, ponitque illam esse alteram speciem iustitiæ, & tamen species, debet participare rationem generis, quam dividunt, appellatque S. Th. hic q. 58. a. 5. hanc iustitiam. *iustitiam secundum propriam rationem.*

RESPONDET Valent. Auctoritati Aristotelis. Quod hoc sensu iustitia, etiam legalis, sit univoca cum particulari, in quantum dividunt genus, quod est esse ad alterum quocunque modo, in quo, quocunque modo, ita latè sumpto, univocè conveniunt illa membra. Dicit etiam potest, quod illic Aristoteles egerit de iustitia attendente ad bonum commune materialiter sumptum, eo quod videatur, velle definire postea de iustitia legali, h. e. de iustitia indubiè intendente bonum commune formaliter, verba incipiunt. *Quæ verò ad singulorum institutionem spectant &c.* fortè etiam univocam appellat virtutem particularem comparatam ad rationes differentiales, individuales ejusdem, non autem comparatam ad genus. Ad eum modum, quo homo est quid univocum comparatus ad sui individua, licet homo pictus non sit univocè homo, nec item quid univocum, ratio quam participant. Quod attinet ad Auctoritatem S. Th. quando ille q. 58. a. 5. dicit, *quod & ad communitatem, & ad partem possit se habere iustitia, secundum propriam rationem*, per propriam ratio-

nem non intelligit rigorosam, sed motivi specialitatem, & æqualitatem inibi reperibilem, in quantum æqualitas non importat prædicatum alteritatis, numeratque justitiam legalem inter partes subjectivas justitiæ non strictè sumptæ, sed communiter acceptæ; in quantum illa importat æqualitatem, obligativam, cui commensuratio & par, reddi possit: cum tamen in aliis partibus potentialibus, aut par reddi non possit, ut Parentibus, aut non adest obligatio, ut in gratitudine, veridicitate, &c. Genus autem, quod dividunt justitia legalis & particularis, genus inquam illud, non est justitia rigorosa, sed communis ad rigorosam & non rigorosam.

DIFFICULTAS III.

De Objecto Justitiæ Legalis.

HÆC Quæstionem pensulatus examinat
Lugo cit. a. n. 63. ipseque tandem

EXPLICAT hoc jus. Sicut filius præstat erga Patrem officia, quæ præstare potest erga alios, sed ex affectu diverso, nempe propter peculiarem conjunctionem, quam habet cum patre; ita potest eadem officia præstare erga Rempublicam vel communitatem, cujus est pars, propter illam peculiarem conjunctionem, quæ habet cum ipsa, tanquam membrum cum corpore, &c. *Hæc Explicatio*

NON SATIS FACIT. Tum quia. Concedo esse peculiarem conjunctionem civis cum communitate, sed quærere restat, quomodo sit illa justitialis, fundativaq; debiti? Tum quia; plures sunt modi conjunctionis cum communitate, & ita servi, communitates, amici habent hanc conjunctionem cum communitate, daturq; ratio communis conjunctionis, quæ ratio non est justitialis; quærere ergo restabit, per quid illa conjunctio sit jus, fundans debitum in civem? Tum quia. Concedo secundum allata à Lugone, justitiam legalem distingui à pietate: hæc enim bonum commune propriè non respicit, differt item ab obedientia, gratitudine &c. sed quærere restat, si est distincta virtus, quomodo in specie justitiæ constituatur? ut explicetur jus illud.

PRÆMITTO I. *Quod nemo sit necessario antecedenter justus.*

RATIO. Quia justitia competere potest, non nisi natura intellectuali: habet enim bonitatem, quæ non est sensibilis, adeoque debita non nisi naturæ intellectuali, natura autem intellectualis, non est necessario antecedenter justa: quia hæc natura est Deus, cui non competit unquam obligari ex justitia, ut dictum supra; sunt Angeli & homines, qui etiam non sunt antecedenter necessario justis; quia aliàs nullum daretur injustitiæ peccatum: quia antecedenter necessariis, nunquam oppositum fieri potest: hoc enim antecedenter necessarium, est neces-

sarium in causa: quæ si est solum principiativa justis, non potest esse principiativa injustis, aliàs illa injustitia, esset sine causa. Rursus, actus justitiæ est actus laudabilis. Ergo liber, ut supponitur communiter. Ergo, non necessarius in causa. Denique quia actus justitiæ est actus voluntatis, si est actus voluntatis, est actus potentie liberæ, & quidem liberè operantis, liberæ quidem: quia supponitur, ex experientia, nos esse liberos; est item actus potentie liberè operantis, quia creata voluntas non nisi circa bonum infinitum, necessario agit, justitia autem non est tale bonum. Si autem actus justitiæ, est actus potentie liberæ, & quidem liberè operantis, non erit actus justitiæ antecedenter necessarius, quod intendit Præmissum. Si etiam daretur creatura aliqua, essentialiter determinata, non nisi ad honestè agendum, illa antecedenter in omni communionem vitæ, esset non nisi justa.

PRÆMITTO 2. *Sicut nemo est antecedenter justus & necessario, ita nec quisquæ est necessario civis.*

RATIO. Quia vel primum evadit civis, vel ab origine: si primum, intercedit tunc actus voluntatis, liberè se determinantis ad hoc, ut evadat pars communitatis: si secundum, etiam hoc fit liberè in capite, quæ libertas capitis moraliter perdurat in progenie, quousq; non repugnat illi exercitio libertatis, quod posuit caput, de ingrediendo hanc communitatem.

PRÆMITTO 3. *Quotiescunq; intervenit bonorum ad invicem participatio, unoquoq; veniente cum suo superabundanti ad indigentiam alius explendam, toties intervenit justitia.* Hocq; probant commercia, commutationes, universaliterque do ut des, facio ut facias; quo posito, illi evadet, hoc suum: quia etiam hoc evadit tuum in communionem vitæ: si autem hoc illi evadit suum, quia illud evadit tuum, hoc ipso illa res jam evadet obligata ex justitia.

PRÆMITTO 4. *Ex civili vita & ex communitate redundare bona in civium utilitatem, & bonum.*

RATIO Præmissi est; mundi consensus; intuitu enim horum bonorum, vel ipsæ urbes & villæ ædificatæ, ipsumque est animalium & hominum, debetur communitati vitæ conjugalis. Hic ipse mundi consensus resolvitur ulterius in instinctum naturæ, dantis potentias communis vitæ inchoativas. Talis est totus sensuum apparatus, præcipuè lingua, communionis vitæ, primum instrumentum.

PROBAT hoc deniq; Paritas ducta ab inanimatis, quorum conjunctio, redundat in bonum & utilitatem eorundem. Sic bonum est ignis urere, & comburere omnia, bonum hoc augeatur ex conjunctione plurium partium ignis, bonum est specierum movere sensum, hoc bonum augeatur ex conjunctione specierum, & sic una arbuscula, quæ non videretur aliàs, in sylva tumulo, movet sensum. Ergo, etiam & commu-

nio